



# Dissertatio medica inauguralis de dolore colico

<https://hdl.handle.net/1874/342125>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DOLORE COLICO,

QUAM,  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORALI,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè consequendis,

*Publicè disquirendam sffit*

JOHANN GOTTLOB NUSSLER, Lauba Lusat.

*Ad diem 22. Junii horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō Ioc LXXXVIII.

*Nobilissimis , Amplissimis , Consultissimis  
& Prudentissimis*

DOMINIS ac VIRIS,  
CONSULIBUS,  
PRÆTORI  
SYNDICO & aliis  
SENATORIBUS,  
Civitatis Laubæ.

Disputationem hanc Inauguralem

*Ea observantia qua par est*

Offert & dedicat

JOHANN GOTTLOB NÜSSLER.  
Lauba Lufat.



# P R O O E M I U M.



On immeritò Democritus humanæ Vitæ misérias deplorat, cum eandem innumeris ærumnis circumseptam vidit, aded, ut jure dixerit hominem totum à Nativitate morbum esse. Vix enim enatus incipit dentire, vagire, imò & in ipso utero adhuc latitans materno variis obnoxius est doloribus & ægreditudinibus, unde Augustinus dicit; ægrotare incipimus, quando nascimur. Morborum & dolorum horum autem, etsi diversæ sunt species, præ reliquis tamen Colicus primatum tenere videtur in affligendò, aded ut à Veteribus fuerit tormentum vocitatus, & certè si doloris vehementiam spectes, vix ullum quo aliàs corpora nostra infestantur, gravius malum dabitur, aded quidem, ut quos exagitat, vel mortem malunt, vel etiam manibus eam violentis prævenerunt. Talem ergo affectum loco Disputationis Inauguralis resolvere simulque naturam, causas, signa & curam ipsius morbi explicare placuit. *Largiatur Deus Ter Opt. Max. hisce meis conatibus eventum felicissimum, quo omnia tendant ad sui Nominis gloriam, nostri & proximi salutem.*





DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DOLORE COLICO.

THESIS I.



Trem ab ovo, quod ajunt, exordiar, & succincto solidoque tramite procedam, pauca quædam methodo hæcenus receptâ de Affectus hujus nomine dicturus sum.

II.

Quod itaque Etymologiam concernit, natales suos habet partim à symptomate scilicet dolore, partim verò à loco affecto nimirum intestino colo quod  $\delta\pi\theta\ \tau\delta\ \kappa\omega\lambda\acute{\upsilon}\epsilon\iota\upsilon$  retardando, removendo, quod feces in eo retardentur ob cellulas; quibus intestinum instructum, vel  $\delta\pi\theta\ \tau\delta\ \kappa\omicron\lambda\acute{\alpha}\xi\epsilon\omicron\theta\alpha\iota$  à puniendo quod doloribus maxime sit obnoxium, Auctores habere volunt.

Dici-

III.

Dicitur græcè κολικὴ ἀσθένεια, ὀδύνη κολικὴ, Lat. Colica, Colica passio, Colicus dolor. Celsus Lib. VIII. c. VII. Laxioris intestini dolorem & libro. 3. c. 14. Plenioris intestini morbum nominat, aliàs Chordion sive Chordapson, quod intestina non aliter tendantur ac corda, quod etiam Aëtius Iliaco morbo attribuit. Germ. Die Colic / das Leibwehe / das Bauchgrimmem / grimmem / Darimgicht.

IV.

Sumitur aliquando latè & impropiè, aliquando vero strictè. Latè sumitur pro omnium intestinorum dolore, peritonæi & membranarum, quæ abdomini & Ventris partibus obtendantur, vid. Fernel. lib. 6. de part. morb. c. 10. strictè verò pro eo dolore, cujus causa proxima in intestino coli est, in quo sensu hic habemus, & ita definimus.

V.

Colicus dolor est tristis & molesta sensatio in intestinis, præsertim Coli, à membranarum nervosarum in parte affecta solutione proveniens. Genus statuimus, quod sit tristis & acerba sensatio, & pertinet ad symptoma primæ classis hoc est actionis depravatæ nempe Tactus.

VI.

Ex definitione ita tam nominali quam reali constat, quod subjectum seu pars morbofa sit intestinum Colon,



6 DISPUTATIO MEDICA

medium inter tria, crassa, ita dictum tanquam κοῖλον cavum, quod inter intestina maximè cavum sit, vel ut aliis placet à κολύω, retardo. Incipit ut verbis Dimerb. dicam circa os Ilium dextrum proximo ibidem reni sejungens, hinc sursum assurgit, & facto sub jecore flexu transversum sub fundo ventriculi (cui mediante omento adnectitur) pergit, & à sinistris lieni renique sinistro tenuibus membranis adhæret, atque circa os Ilium sinistrum facto flexu, recti intestini principium orditur. Quæ situs & conformationis variis distinctis cellulis ratio in hunc abit usum, ut dicto in intestino feces alvinæ coacerventur, & usque ad excretionis tempus reserventur, plura videantur apud Anatom. Willis. Part. II. de Animâ Brutor. c. 15 dicit, distinguendum esse inter dolores Colicos vulgè sic dictos, & inter veros & propriè tales, hinc nec in genere omnem intestinorum nec in specie Coli dolorem innui, sed potius partes quasvis abdominis & viscera omnia totius ventris subjectum hujus morbi statuit. Quamvis itaque alia intestina in affectu nostro in doloris consensum rapi verum est, Colon tamen præcipuè & frequentius affligi multa persuadere videntur, si ve intueamur intestini hujus structuram, si ve hujus æque ac situm, si ve alias circumstantias: & Celeb. Sylvius postquam intestini Coli mæandros exposuit, dicit: in abdominis ambitu ac circumferentia *modo designata exortus dolor verè colicus est*; quamvis nonnulli cum tantum hoc beant nomine, qui partem abdominis superiorem anterioremque cinguli medio angit & torquet, inscii aut immemores quam sæpe usque ad umbilicum, & quandoque usque ad vesicam insigni anfractu per medium abdomen volvatur; & hæc de causâ Colon in definitione ceu partem primariam adducere



ducere non dubitavimus, etiam alia intestina non planè semper excludenda. Afficitur intestinum Colon per essentiam, præsertim circa regionem intestini cæci in principio coli non longè à valvulâ illâ litigiosa (Ut eam appellat Rollf. Epit. p. 157.) vel potius membranæ aut circulo in latere dextro. Quandoque per consensum renum colica aboritur, hinc magnam inter hunc & nephriticum dolorem esse affinitatem; de quibus in inferioribus plura.

VII.

Ordine ut procedamus consideranda est hujus affectus causa proxima immediata, quæ est solutio continui in partibus intestini potissimum coli nervosis, non tam facta quam fiens, hinc enim augetur *p. n.* vel depravatur in partibus maximè sensibilibus illa tactus perceptio, & spiritus in partibus istis habitantes in varias *disposiciones* vel inordinationes adiguntur.

VIII.

Solutionem hanc continui subinproportionati objecti schematis produxerunt causæ mediatae, quarum proximiores sunt Humores biliosi, viscosi, frigidi, flatus, feces induratae, inflammatio, vermes, calculi &c. quæ omnia anxietatem hanc faciunt obstruendo, mordendo, distendendo, rodendo, pungendo.

IX.

Humores biliosos quod attinet non rarò acrimonia & acerbitate ut & mordacitate sua sunt affectus hujus Auctores, vid. Zac. Lus. L. II. pr. adm. observ. 25. quo nomine  
 omnis



8 DISPUTATIO MEDICA

omnis generis humores falsos, acres, scorbuticos & tenues intelligimus, quin & maligni seu peculiariter corrupti catalogo huic inferendi, à quibus non raro colica epidemica venit.

X.

Cùm igitur Gal. humores frigidos crassos adducit, inter quos pituita eminent vitrea inprimis accusat & exemplo suo id confirmaturus: meminisse, inquit, mihi accidisse dolorem vehementissimum, ut mihi viderer ventre infimo, terebrâ perforari, additque injecto Clystere ex Oleo Rutzæ magnam pituitæ vitreæ copiam rejeci, convaluique. De colica à pituita vitrea crudelissima vid. Riv. Obs. com. observ. 4. ut & Tim. Pituita vitrea verò non generatur in statu naturali, quia tanta frigiditas adesse non potest, quæ sit hujus generationis causa, sed tantum in statu præternaturali in quo reperiri potest remissior calor, à quo valde fracto & debili originem ducat, præprimis in partibus natura suâ frigidis, ut sunt intestina, in quibus vitiosi humores à naturâ per vias consuetas veluti ad cloacam & sentinam publicam universi corporis protruduntur. In quibus igitur pituitosa excrementa & viscida colliguntur, quanto magis immorantur tanto plus absumptis à calore nostro tenuibus eorum partibus sint frigidiora, quæ in illis gravissimos tunc concitant dolores: quando igitur natura hæc ut incoctilia sentit ab eorum coctione se divertit, cumque non agitantur à natura resolutâ parte igneâ indies reduntur frigidiora vid. Hollerius lib. 2. de morb. inter. Cap. de dol. col. Pituita hæc verò colligitur præcipuè in his qui sunt crapulæ dediti, ut & in otiosis, quibus bilis, quæ est



est stimulus expultricis ad ea loca vel parcius vel effœta defluit.

## X I.

Præter humores, flatus etiam in Cavitate Coli conclusi excitare possunt hunc dolorem: vid. Paneroll. pentec. 4. observ. 126. & alios, qui maximam Coli distensionem à flatibus observarunt. Nam flatus ab humoribus istis viscidis elewantur, à calore intestini debili, cumque nec sursum nec deorsum erumpere possunt, distendendo & divellendo intolerabiles cruciatus excitant.

## X I I.

Feces induratæ suum symbolum addunt, quæ in intestinis crassioribus cumulatæ, à calore exsiccantur, indurantur, vel si bile destituantur, segnior & adstrictior fit alvus: à solâ ergo retentione colicam provenire posse non existimo, quia sæpe constipationes absque dolore colico sunt; sed necesse est ut adsit humorum singularis aliqua fermentatio: vid. Rollf. Epif. p. 260.

## X I I I.

Hanc flatuum & humorum & fecum retentionem repercussionem & agitationem adjuvat quoque inflammatio, quæ fit, quando sanguis ob copiam vel tenuitatem à causâ irritante effusus, stagnans, aut secundum antiquos attractus ob gravem inflammationem dolorem in colo concitat, nec dolorem solum excitat, sed & viam contentis præcludit.

## X I V.

Sunt & aliæ doloris Colici causæ sed minùs frequentes, nempe calculi in intestinis geniti, vid. Fernel. pathol. c. 9. Horst. qui ovi gallinacei magnitudine instar lapidis Bezoardici ex plurimis pelliculis compactum post dolorem reiectum conspexit in Epist. Med. S. 9.



## X V.

Vermes quoque pungendo & rodendo dolorem colicum inducere possunt, quales observationes videri possunt apud Practicos. Forestus in Rustico observavit quem expulsis triginta vermibus sanitati iterum restituit. Sanguinem con-  
gruatum accusant nonnulli, quale exemplum in Timæo. Conf. 17.

## X V I.

Chymici causam Colicæ petunt ex spiritibus salium resolutis vel coagulatis: vid. Paracelsum de Colicâ.

## X V I I.

Inter res naturales non levem occasionem præbere solet Cholericum temperamentum, quo præditi dum bile abundant, & illam sæpius *διὰ τὴν κατὰ* excernunt, in colicos dolores valde proni deprehenduntur: hinc habitus corporis macilentior, sicuti huic temperamento multum debet, ita hic quoque notari meretur ac sexus virilis, quem præ muliebri hoc modo plerumque infestari solere experientia docet: interim bilis quoque paucitas, adeoque stimuli feces expellentis defectus & intestinorum angustia ad colicam disponere valent. Neque silentio hic involvendi qui cruditatibus frigidis & acidis laborant, multumque pituitæ inprimis viscidæ congesterunt, siquidem pravis istis humoribus commotis facile tormina ventris oboriuntur, unde in fœminâ illâ apud Schenkium. lib. II. observ. p. 361. ex solo anhelitus fœtore motum humoris & marito metuendam colicæ recidivam præservari tunc incumbens prædixit.

## X V I I I.

Ad res non naturales accedimus; aërem quod itaque spectat, si nimis frigidus, quatenus calorem nostrum obtundit & debilitat, quo debilitato coctio facile lædi, crudi & corrupti humores generari, alimenta minus coqui, in flatu attolli,



li, & sic dolori colico ansam præbere possunt: vid. Forest. lib. 3. obs. 4. in Schol. ubi fratrem suum quotiescunque illi pedes frigeant, statim colico labore correptum fuisse refert, sic etiam mediante aëre possunt transferre halitus, qui colicam inducunt, quod observari licet in metalli fodinis, ubi, qui iis operantur, à fumis præsertim Lithargyrii alvi suppressiones non modo, verum etiam atrociores colicos dolores incidere solent.

X I X.

In victu quod attinet errores, cibus qui delectantur stipticis, flatulentis, facile corruptibilibus, viscidis, nimis pinguibus, dolori sunt obnoxii: de assumpto per multum tempus caseo vide Plat. Tom. II. prax. c. 13. & Ostreis, Forest. lib. II. obs. 7. carnes suillæ, lardum, legumina, olera, cucurbitæ, melones, glandes, castanea, mespila, hæc non tam qualitate quam quantitate & utendi modo, tum pro subjectorum diversitate causandi rationem obtinent.

X X.

Vina feculenta, turbida, crassa, mustum, cerevisiæ recentes nec satis defecata, frequenter Colicam inducunt. Sic etiam ab intempestivo specierum Diagridii subsecutam esse colicam lethalem. vid. Barth. Cent. 4. Hist. anat. 23. p. 39.

X X I.

Somnus immoderatus multa cumulat excrementa, cutis poros obstruit, transpirationes impedit, & naturales evacuationes detinet: sic & vigiliæ nimia, quia omnem calorem & spiritus dissipant, cruditates cumulant, cerebrum & totum corpus exsiccant, bilem accendunt, imbecillitatemque corpori inducunt, & per accidens cruditates cumulant.

X X I I.

Motus & quies si in defectu vel in excessu peccant, potest esse in causâ. Eodem modo animi pathemata, mœror, hu-



mores in ventriculo & intestinis ita disponere solet, ut cruciatus colici facilius excitentur, præprimis ira, dum bilem vehementer commovet, subito & sæva inducit tormina. vid. Tulp. lib. II. obs. 41. de excretis & retentis in superioribus dictum.

## X X I I I.

Res *p. n.* quod spectat, plurimi in hâc Classe occurrunt affectus *p. n.* qui colicum dolorem vel excitant vel socium fidum habent. Nephritici dolores frequenter cum Colicis concurrunt, & expertus est ille vir apud Horstium lib. 4. obs. 12. & 14. post febrem tertianam simili afflictione ægrum quendam fuisse correptum memorat. Conf. quoque Spigel. de febris semitertiana c. 14. ex Herniâ inveteratâ colicam in viro militari observavit Lotich. Lib. 4. c. 6. obs. 8. Scriba quidam colico dolore correptus calculum ovi gallinacei magnitudinem per alvum rejecerat: vid. Marc. Don. Lib. 4. c. 30. & memoratu digna sunt quæ Faber apud Horstium recenset de viro quodam, qui 232. calculos diversæ magnitudinis per alvum rejecerat. Fabric. Hild. Cent. I. obs. 57. refert à puellâ gravissimis doloribus Colicis vexata post Clysteris usum excretum fuisse globulum vermium pugni magnitudine, ultra septuaginta lumbricos adedè intricatos, & glomeratos complectentem, ut separari vix potuerint. Coherus quoque viginti vermes maximos rejeptos observavit statim cessantibus torminibus, neque reiterantibus, etiam si quotidie alii afflixissent. Vid. Sebitzii Exercit. pathol. 367.

## X X I V.

Ad differentias descendendo occurrunt I. Ratione subjecti: non enim semper totum afficitur Colon, sed partes etiam: hinc dolor vel est in suprema vel infima Coli parte; præcipue autem dolor magis observatur in latere sinistro ob Coli in ea parte angustiam, quæ causa quod dolores



dolores Nephritici sæpe cum Colicis diffundantur, quia intestinum Colon sub Ventriculo distenditur, & attingit renem dextrum, ob quem consensum dolor sæpe videtur esse renalis. Alius est verus alius nothus. 2. Ratione speciei alius est punctorius, acutus, obscurus, alius per essentiam, alius per consensum. 3. Ratione causæ, alius humoralis, flatulentus, stercoralis.

X X V.

Differentiæ desumuntur ab accidentibus, & quidem ab adjunctis, alius est cum febre, alius vero sine. A magnitudine alius vehementior, alius remissior. A more alius malignus, alius benignus. A tempore alius antiquus, alius recens. A motu alius brevis, alius diuturnior, alius vagus, alius stabilis. Ab exitu alius salutaris, alius lethalis, & quidem vel simpliciter subsequente sanitate vel morte, vel secundum quid quando in alium morbum degenerat; v gr. Epilepsiam, Paresin.

X X V I.

Ad signa nunc redeamus. Signa itaque diagnostica sunt vel demonstrativa vel distinctiva, illa demonstrant affectum & causas. Affectus cognoscitur ex dolore circa Coli regionem fixo, fixo vero ratione loci & subjecti in genere, ratione verò intestini ductus mobili, & quasi in orbem vel gyrum vago: dolor ille aberrans per cavitatem extensivus, amplior, & terebræ perforanti similis, dicitur gravissimus, præsertim circa anfractus, ubi resilire quasi cogitur materia peccans. Deinde ex nausea, appetitu dejecto, vomitu pituitosorum, biliosorum aliorumque humorum, quoniam ventriculum, cui Colon est substratum, vicini exorbitantia contestatur. Ex fecum & flatuum suppressione, siti, corporis hinc inde jactatione & insigni dolore. Vigiliæ se quoque comites adjungunt.



## XXVII.

Signa causas indicantia quod attinet, si à pituita, dolor erit fixus, de quo Galenus, quia in Colon plerumque perforantis terebelli modo se infixit, propter violentam tunicarum distensionem. Nauseam & pituitæ vomitionem ciet, neque ructibus neque flatibus demulcetur: urina alba & cruda. Præcessit victus pituitam generans, crapula, cruditas, temperamentum & habitus plerumque concordant.

## XXVIII.

Si à bile dolor sentitur acris, pungitivus magis mobilis, aderit amaritudo oris, sitis, alvus adstricta, vigiliæ, ardor, vomitus biliosus, urina ignea cum ardore, qui vehemens dolor humores & spiritus in venis & arteriis contentos inflammat, & ideo particulas sulphureas in sero copiosius solvit, à medicamentis frigidis levamen sentit æger.

## XXIX.

Flatus se produnt dum in ventre fluctuationes, angitus & murmura excitantur, dolor adest tensivus, instabilis, ac per intervalla affligens, venter tumidus ac inflatus, potus & cibi flatulenti præcessere, abusus leguminum, raparum, castanearum, olerum, fructuum.

## XXX.

In fecum retentione dolor est gravativus & extensivus, præcessit victus adstringens siccus, potus parcior usus, exercitatio nimia, & alia feces indurantia.

## XXXI.

Si ab inflammatione signa inflammationi propria adfunt, nempe dolor pulsans, febris, sitis, alvus adstricta, dolor acutus & fixus.

## XXXII.

Dolore rodente & punctorio vermes se produnt: adest ventris



I N A U G U R A L I S. 15

ventris distensio, nausea, faciei pallor, oculorum suffusio, narium pruritus, animi deliquia, insomnia turbulenta, convulsiones & maculæ.

X X X I I I.

Si à sanguine congrumato, dolor erit gravativus cum extensionis sensu, præcessere causæ violentæ sive externæ sive internæ, sanguinis è vasis eruptionem causantes, deliquia animi, internorum æstus, externorum refrigeratio.

X X X I V.

Suspicionem calculorum præter duræ quasi contudentis & contumacis gravitatis indicia, absentia quoque reliquarum causarum suadebit, quo & conducet subjecti dispositio, victus eorum generationi conducens.

X X X V.

Si à malignâ & venenatâ causâ vel exterius adsumpta, vel per aëris inquinamenta contracta, adest virium prostratio, Syncope, stomachi anxietas, pallor, lividitas totius, pulsus debilis, animi deliquia, simul vehementer affligant.

X X X V I.

A Colica verò notha differt quod sedes hujus doloris non sit in intestino Colo sed in peritonæo, vel membranis, vel abdominis musculis. Vid. Fernel. Pathol. Lib. 6. cap. 10. quod gravissimus ac admodum diuturnus sit, neque Clysteribus neque aliis medicamentis cedere soleat, dolorque hic non tam profundus sit. Ab iliaco dolore distinguitur, quia in illo vehementior & pungentior dolor affligit in intestinis superioribus & tenuibus, sursum ad dextrum potissimum latus, protensus cum inflatione & distensione, Epigastri angustia, palpitatione cordis, delirio, ructibus.

XXXVIII.



## X X X V I I.

A Nephritide distinguitur 1. Doloris situ. Colicus dolor magis venit ad partes anteriores, nephriticus vero magis circa regionem lumbarem & partem posteriorem. II. proprietate doloris. Dolor in Colica tensivus five punctorius est & intensior; nephriticus vero savior & remissior; stabilis est & quoque fixus dolor nephriticus, & in unâ parte permanet, donec calculus delabatur in vesicam, dolor vero Colicus haud quaquam in loco fixus est, sed vagabundus. III. Excretis. Urina in Nephritide est pellucida & ferè aquea, in progressu vero sabulosa; quod in Colica non est. Feces alvi in Colicâ affectione sunt aridæ, siccæ atque duræ, in Nephritide sunt molliores.

## X X X V I I I.

A Dolore Hysterico differt 1. Quod dolor hystericus inguinibus & coxis communicetur, ac supra illa non ascendat. 2. Quod interdum à strangulatu ab utero superveniat, qui in Colica non apparet. 3. Quod ille tum solum excruciat, quando vel præcessit partus, vel instant menses, aut iidem supprimuntur. A Dysfenteria etiam differt, etsi enim aliquantum sunt persimiles in Dysfenteria tamen præter intestinorum dolorem quoque adest exulteratio cum cruenta alvi dejectione, estque alvus in eâ perpetuò aperta, quorum nihil accidit in Colicâ.

## X L.

Prognasim quod spectat, licet rarò sit lethalis, minimè tamen affectus contemnendus, quoniam vires valde dejicit, spiritusque dissipat. Et si consideratur ratione generis interdum haud vacat periculo, si dolores sint perpetui, & fixitate constant, si excrementa detineantur & adsint vigiliæ, Symptomata sequuntur gravissima & proveniunt vomitus, singul-



singultus, extremorum refrigeratio & Syncope. Ratione subjecti, si totum affectum sit Colon majus imminet periculum quam si pars, minimè autem, si dolor in fine coli existat, quoniam Clysteribus illuc perveniendi planus patet aditus. Si in medio & fine ratione evacuationis magis periculo subest. Ratione causæ, quæ enim magis urgeat periculosior est. Pituita crassa & feces obduratæ non aded sunt difficilia & minus minantur periculum quam humores æris & calidi inflammationem intestinis inducentes, cum enim facile in Ilium transeat lethalis censetur.

X L I.

Ratione longitudinis. Humores crassi & viscosi intra Coli tunicas conclusi, longiori persistunt spatio, quam flatus, cum pertinacius adhæreant, & motu sint difficiliores. Calculus cum in intestinis majori se insinuaverit fixitate remotione plus pertinacior quam feces induratæ indiget.

X L I I.

Si adhuc in principio eventus terminatur ad salutem, si levior & remissior fuerit, nec in uno loco pertinaciter adhæreat, sed quando intermittit, & excrementa non prorsus retinentur, vires constant subjectum robustum, materia benigna nec gravioribus sit stipatus symptomatis. Ad mortem verò terminatur si materia contumax, maligna, subjectum debile, symptomata graviora, si dolores sunt acerbissimi in uno loco fixi, nunquam intermittentes, excrementa penitus detineantur, vigiliæ, singultus, ructus fœdi, vomitus, delirium, sudores frigidi, extremorum refrigeratio, & syncope sequuntur.

X L I I I.

Maximum vero periculum minatur inflammatio, quod in Ilium facile transire potest, præsertim si tanta sit, ut vesicam in consensum trahat, & deinde urina supprimitur non minus periculum portendit, quando in abscessum degenerat. Vid. Hildan. Cent. 1. observ. 54.

C

XLIV.



## XLIV.

Venimus jam ad Therapiam, quæ tribus innitur indicationibus, Curatoriâ, Præservatoriâ, & Vitali.

## XLV.

Curatoria autem consistit in causæ remotione, & urgentis symptomatis mitigatione.

## XLVI.

Præservatoria causas respicit antecedentes, quæ tollendæ & removendæ.

## XLVII.

Vitalis ratione, vires absumptæ sunt restaurandæ, & quæ adsunt conservandæ. Auxilia Remediorum ex consuetis tribus petantur fontibus, nempe Pharmaceutico, Chirurgico, & Dietetico.

## XLVIII.

Curatio tota hisce expediri videtur, ut causæ amoveantur, Symptomati occurratur, vires conserventur. In Colicâ vero à quacunque causa obstruente orta obstructionem tollere convenit, feces emollire, alvum laxare, calculos tollere, humores educere, inflammationi succurrere, dolorem lenire.

## XLIX.

Quia vero creberrima & communissima est Colica, quæ à flatibus originem habet, & sic specialis indicatio nos jubet emollire, & medicamenta alvum laxantia adhibere, & flatus discutere, tutissimam existimavimus viam, quæ evacuationibus & lenientibus enematis alvum levat, causa enim hæret in intestino Colo, ad quod facile penetrare possunt. Sit ita Clyster emolliens

℞. *Herb. viol.*

*Malva aa. m. ʒ.*

*Flor. verbas.*

*Sambuc. aa. m. ʒ.*

*Rad. Alr.*

*Lil. alb. aa. ʒv.*

*Cof.*

Coq. in aq. in Colar. ℥vij. dissolv.

Ol. septem flor. Myns. ℥i℥.

℞. Ol. Lin. Lil. alb. aa. ℥i℥.

infus. nicot. c. spir. vin. parat. ℥ij.

Ol. Thereb. ℥j. F. Enema emolliens.

L.

Pro scopo laxante convenit sequens.

℞. Herb. 5. emol. m. j.

Flor. Samb. m℥.

Herb. Merc. m. j.

Rad. Alth. ℥i℥.

Coq. in s. q. aqua comm. Colat. add.

Electuarii lenit. ℥i℥

Salis Gemm. ℥ij.

Vitell. ov. no. j.

F. Clysm. laxans, si non sufficiat, sequens dandum.

℞. MP. de Ammon. Oyc. gr. xij.

Merc. dulc. ℥℥.

Laud. Langel. gr. i℥.

Extr. Troch. alband. gr. i. c.

Ol. Cort. Aurant. F. Pilula.

vel ℞. Pulv. conch. gr. xij.

Tart. Vuriol. ℥℥.

Diagrid. gr. iij.

Ol. stillat. anis. mis. prot. Laxans.

Interea venter oleo amygdal. dulc. & Cham. vel unguento Clysmatico & Anodyno inungi poterit.

L I.

Flatus discutientia sunt

℞. Cham. Rom.

Sumit. Absint.

Herb. Merc. aa. m. i.

Bacc. Laur. ℥ij. vel ℥j.

Rad. Zedoar. ℥j.

Cort. Aurant. ℥℥.

Seminis cum. carv. aneth. aa. ℥℥.

C 2

Coque



*Coque in s. q. aqua simp. Colat.*

*℞. ℥. j. in qua dissolv.*

*Elect. de Baccis Lauri ℥i℥.*

*Castor. Ol. stillat. Rata. Chum. gr. v.*

*vel ℞. Vin. Malv. ℥℥.*

*Elect. de Bacc. Laur. ℥ij.*

*Vicell. ov. no. i.*

*Ol. stillat. laur. gr. 3. mis.*

Clysteres ex fumo Tabaci sunt præstantissimi; ubi flatus in majori quantitate adsunt, conveniunt Enemata ex Urina puerorum juxta Excell. Et mul.

*℞. Decoct. Carminat. ℥vj.*

*Urin. hum. ℥iij. fermenti ℥j.*

*salis ℔j. mellis Rosari ℥j.*

## L I I.

Quoad interna conveniunt v. gr.

*℞. Aqua Carminat. Dorucret. ℥iv.*

*Extract. Specif. Colic. Mynsich. ℔j.*

*Syrup. de Cort. Aurant. ℥iij.*

*Laud. op. gr. ii. misc. sig.*

*℞. Aq. Anesh. ℥iij.*

*Sp. Ther. ℥i℥.*

*Laud. Hyst. ℔℥.*

*Syrup. Cort. Aurant. ℥℥. misc. pro 3. Dos.*

*℞. Sp. Carminat. de 3bus ℥i℥.*

*Tinct. Tart. ℥j. misc. pro dosi gr. xl.*

*℞. Eleosacch. Cort. Aur. foenic. aa. gr. 12.*

*Laud. op. gr. i. misc.*

*℞. Extrac. Carm. gr. v.*

*Laud. op. gr. iij. c. oleo stil.*

*Cort. Aurant. F. Pilula no. vii.*

*℞. Syrup. Diacum.*

*Extrac. Carm. Mynsich. ℔ij. c.*

*s. q. Sacch. in aq. Carm. solut.*

*F. Rotula adsparg. Oleo anticol.*

## L I I I.

A Pituita vitrea siue ab aliis crassis viscidis humoribus colicus dolor si est, alius aperiatur Enematis mitioribus, deinde materia temperatis, præparanda, attenuanda, & ad exitum faciliorem disponenda,

℞. *Herb. Calaminth. Menth. Rut.*

*Cent. Min. aa. m. j.*

*Rad. Angel. Helen. aa. ℥j.*

*Imperat. ℥℞.*

*Sem. Cart. in pet. ligat. ℥vj.*

*Coque in s. q. aq. comm. Colat.*

℞. ℔j. in quâ dissolv. *Elect. hier. picr. ℥j.*

*Vitelli ov. no. i. sig. Clystier. auf. 2.*

Valet hic maxime Ol. Zed. Cham. ad gr. iij. ad ℔℞. sæpius adhibita; Essen. Troch. alhand. multum præstat in educenda pituita cum Vino Malvatico distil. extr. item sp. vit. aur. Rul. ad ℥℞. ad summum.

## L I V.

Si dolor ab humoribus biliosis alterari ac evacuari convenit, sit ergo Clyster alterans.

℞. *Herb. Malv. Endiv. Lact. Vial. aa. m℔.*

*Fl. Nymph. Cham. Summit. Aneth. aa. p. iii.*

*Summit. q. frigid. maj. aa. ℥℞.*

*Rad. Alth. ℥j.*

*Coqu. in sus. q. aq. Colat. ℞. ℥ix.*

*dissolv. Cass. pro Clyster. ℥j. Ol. Cham. ℥℞.*

*Nymph. ℥ij. Nir. ℥℞. F. Enema.*

℞. *Rhab. ort. ℥iiij.*

*Sem. anis. ℥j.*

*aq. Cich. q. s. infund. per noct.*

*mane ebul. parum in Colat. ℥iiij.*

*salv. Syrup. Ros. solutiv. ℥j.*

*F. Potio purgans pro necessitate reiteranda.*

## L V.

Quod si ab humoribus acribus, biliosis, morbus ortum habeat,



habeat, illi statim post alvi apertionem & anodynorum applicationem detergendi & expurgandi iis, quæ bilem rejiciunt injecto Clystere è lactis lbj. in qua mellis mercurialis ℥v. dissolutæ sunt, aut loco lactis potest assumi aq. Hordei, in qua Rosæ, violæ aut malva bullierint c. Diaprun. aut Diasebesten. Per os datur Diaprunum solutivum, syrop. ros. solutiv. c. infus. Rhab.

## L V I.

Si ex inflammatione intestinorum fiat dolor, post fecum ejectionem secatur vena & Clysteres injiciuntur refrigerantes & emollientes, aut si aliqua suspicio sit bilis flavæ ex lacte, in quo bullierint refrigerantia cum Sacch. & viol. per Os quæ adsumuntur debent esse refrigerantia. v. g.

℞. *Herb. frag. Viol. Lact. aa. m. j.*

*Sem. 4. frig. maj. ℥℥.*

*Prun. Damasc. no. xx.*

*Fl. Nymp. p. ii.*

*Coq. Colat. ℞. ℥x. adde Ol. Viol. ℥iij. nitri pur. ℥℥.*

## L V I I.

Vermes si adsunt, enecandi, educendi sunt. Potest hic injici Clyster, quo viæ lubriciores reddantur, ubi ab amaris abstinere dicunt Practici, ne vermes sursum repant, suadent itaque Clysteres dulces.

℞. *Hord. & furs. macron. m℥.*

*Fic. no. v.*

*Rad. Liquir. ℥℥.*

*Coq. in aq. Com. in Colat. ℥v.*

*dissolv. mellis simp. ℥j.*

*Vitell. ov. no. i. F. Clyisma alliciens.*

℞. *Herb. absinth. m. j.*

*Centaur. min. m℥.*

*Rad. Diſtam. filicis aa. ℥vj.*

*Sem. Sardon. ℥iij. Coqu. in f. q.*

*lactis Colat. ℥iv. adde*

*Electuar. Diacart. ℥vj. F. Enema expurgans.*

## L I X.

Calculi Indicatio est illum expellere, lumbricos lubricitare.

℞. *Sem. Malv. Alb. aa. ℥iij. Cic. rubr.*

℥℥. *Sem. 4. frigid. maj. ℥iij.*

*Hord. mund. ℥ij. caric. ping. no. ix.*

✓ *Sebest. no. 5. Glyzir. ℥v.*

*coque in f. q. aq. Font. ad. ℔j.*

adhiberi possunt Nephritica E. gr. Tinctura Nephrit. Essent. Ononid. &c.

## L I X.

Sanguis congrumatus resolventibus, discutientibus educendus est, ubi admiscere possumus carminativa.

## L X.

Symptoma ingens plerumque totam curam ad se dirigit, hinc nonnullorum Anodynorum & Narcoticorum specificorumque mentionem faciemus.

℞. *Fol. Malv. pariet. Summit. cineth. aa. m. j.*

*Sem. Lin. Fœn. græc. aa. ℥℥.*

*Coque in Colat. ℔j. dissolv. Ol.*

*Amygdal. dulc. recent. ℥ij.*

*pingu. galli ℥i℔. F. Clyster.*

Clysteres ex Lacte melle & Oleo mire commendantur. Interna cautè danda sunt. Solutionem opii tartarifat. summè laudat Willis. p. 336. & Pharm. rat. Sect. VII. c. 3. Pulvis anodynus confort. D. Mich. Magist. anodyn. Rullf. Tinctura anodyna Excell. Wedel. Pitulæ de styra- ce & Cynogl. Theriac. cœlest. Seu Externa anodyna varia ex Ol. Cham. Ros. Nymph. Hyosci. viol. Castor. quin & ex variis Anodynis Catapl. fomenta sacculi Balsama confici possunt, ut stercus vaccinum & asininum recens cum Butyro recenti coctum Umbilico calidè applicatum est optimum remedium. In dispositione scorbutica folia Hyo- sciami in lacte cocta conveniunt.

LX. Ex



## L X.

Ex specificis commendantur intestina Lupi, non tantum internè sed etiam externè, idem præstare debent excrementa. Umbilicus infantis præcisus dum nascitur in argenteo annulo gestatus, ut carnem tangeret, multis profuit Coli doloribus vexatis, ut hoc præsidio integrâ valetudine per multos annos fruereutur, scribit Cardanus. Spongiæ in Rosis sylvestribus nascentes laudantur à Fonseca. Arena calida commendatur à Practicis.

## L X I.

Fons Chirurgicus præbet Venæsectionem, quæ in omnibus ferè doloribus excellens remedium, maximè etiam hic in Colica à Plethora, & inflammatione orta, præsertim si corpus sit carnosum, ac ætas ac vires permittunt, convenit. Cucurbitulæ magnæ à veteribus laudantur, cum longa flamma umbilico impositæ, quæ flatus incantamenti loco dissipare dicuntur,

## L X I I.

Quia verò iis remedia præscribantur frustra, qui rectam servare victus rationem nolunt, ideo illius diligens cura habenda. Sit igitur aër nec nimis calidus nec frigidus, sed temperatus. Cibi non sint crassi, viscosi, lenti, glutinosi, flatulenti, dyspepti, sed εὐχυμοὶ καὶ εὐπεπτοὶ assumantur in debita quantitate & qualitate, conveniente tempore & bono ordine. Potus sit vinum clarum, tenue, ἀλιζόφορον, aut hujus loco Cerevisiæ bonæ notæ. Somnus sit moderatus. Motus corporis sint moderati & ante pastum instituti; excretiones, quæ in primis hic expediunt, diligenter promoveantur. Immoderata denique omnia animi pathemata, quantum fieri potest, evitentur & fugiantur. Tibi Sanctissima Trinitas, cujus nutu & ductu hæc incipere, tractare & absolvere licuit, sit laus, honor & gloria.

F I N I S.